association voll. 1—4 Lond. 1846—1849, series nova voll. 1—5 ibid. 1850—1854, series III voll. 1—14 ibid. 1855—1868; plura nondum vidi). In his ad titulos Latinos cognoscendos contulerunt H. L. Jones, Boston, I. Foster (n. 142), T. L. D. Jones Parry alii; inprimis autem de iis meritus est I. O. Westwood professor Oxoniensis, qui studio indefesso lapides inscriptos quotquot extant per Cambriam indagavit, ectypa eorum collegit, plurimos edidit et explicuit. Vidit ille huius capitis titulos septem (n. 143—147. 151. 152), christianos vero omnium longe plurimos (quinquaginta plus minus ex circiter octoginta qui extabant).

Extat praeterea in *Swansea* academia *the Royal Institution of South Wales* dicta, cuius impressae quas vidi relationes titulorum nihil continent. Etiam museum in oppido illo conditum est; sed ego neque illud potui adire neque reliquam Cambriam peragrare volui propter titulos vicatim et in locis solitariis dispersos.

De Cambriae antiquitatibus Romanis in universum videnda sunt quae post Ric. Gough (3 p. 91 ss.) observata sunt a variis scriptoribus in Archaeologia (16, 1812 p. 127. 17, 1814 p. 168), in Archaeologia Cambrensi (1, 1846 p. 75. 418; 2, 1847 p. 108. 181. 3, 1848 p. 13. 91. 172. 187; ser. nova 1, 1850 p. 81. 155. 277; 2, 1851 p. 122. 177. 336; 3, 1852 p. 203; 4, 1853 p. 90. 95; 5, 1854 p. 77. 186. 267; ser. III 2, 1856 p. 30; 5, 1859 p. 125; 6, 1860 p. 186); in *assoc. journal* (10, 1855 p. 1. 362; 11, 1855 p. 128 ss.).

Ut in *Cornwall* et *Devon* (cap. I), ita in Cambria quoque, ut ibi dixi, reperti sunt tituli infimae aetatis non pauci, quos cum nulla ratione coniuncti sint cum castrorum municipiorumve Romanorum antiquitatibus satis est summatim hoc loco commemorare; nam proprium sibi locum propriamque postulant tractationem.

Reperti sunt praeterea in Cambria lapides aliquot non litteris inscripti, sed signis tantum variis (circulis, punctis cet.) notati (cf. E. L. Barnwell Archaeol. Cambr. 13, 1867 p. 150 ss.), quorum similes etiam in Caledonia observati sunt. Eos quoque sufficiat breviter memorare, cum ab huius syllogae consilio alieni sint.

Hiberniam saeculis quinto ad octavum cum Cambria arte coniunctam fuisse inter alia docent tituli *Ogham* litteris, quas dicunt, scripti tam ibi reperti quam in Cambria, cuius generis christiani non pauci bilingues sunt, scilicet Latinis litteris scripti et Hibernicis illis (de quibus cf. I. Graves in actis academiae regiae Dublinensis 4, 1849 p. 151 ss.). Ita in Hibernia quoque, quam nunquam a Romanis occupatam fuisse constat (quanquam video de hac re nuper dubitatum esse, v. Th. Wright Archaeol. Cambr. 12, 1866 p. 296 ss. et R. R. Brash ibid. 13, 1867 p. 83 ss.), praeter supellectilis Romanae reliquias frequentes (collectas illas a societate archaeologica Irlandensi, in *the journal of the Kilkenny archaeological society*, in *the Ulster journal of archaeology*, itemque in Wildii catalogis musei Dublinensis; cf. C. R. Smith collect. antiq. 3, 1854 p. 131 ss. et *assoc. journ.* 10, 1855 p. 170 ss.) tituli aliquot prodeunt Latini infimae aetatis, Cambricis fortasse etiam recentiores.

142 In castro dicto Caer Seiont prope *Caernarvon*, ubi servabatur *as the cover of a flue or drain*, detectus est a. 1845 lapis *a*, qui est longus dig. 18, latus 8; deinde ibidem a. 1853 *in the vicarage garden* prodiit lapis *b*, quem continuo cum *a* componendum esse iudicaverunt editores. Ubi nunc serventur tituli fragmenta duo ignoro. Litterae sunt bonae.

a *imp. caes. l. s.*EP T·SEVERVS·PIVS·PER*tinax*
*et imp. m. a*VREL·ANTONINV*s pius felix augg.*

b *arcus* AQVAE DVCTIVM VETVS*tate*
. . . *conla*BS·CoH·I·SVN*u*C·RESIT . . . .
. . . . VIPF . . . .
. . . . NL . . . .

I. Foster Archaeol. Cambr. 1, 1846 p. 77 et ser. nova 4, 1853 p. 71 (inde C. R. Smith collect. ant. 3, 1854 p. 201; I. Becker mus. Rhenan. 13, 1858 p. 259).

V. 4 SVNC·RESIT traditur; de TVNG cogitavit Smith, SVNC in lapide fuisse Becker proposuit probabiliter, nam cohortem I Sunucorum fuisse in Britannia a. 124 diploma militare ad *Riveling* repertum docet. In RESIT videtur latere *restituit*.

143. 144. 145 Rep. in monte dicto *Tommen-y-mur* (i. e. mons vallis) in castris Romanis prope *Trawsfynnyd* ad viam Romanam *Sarn Helen* dictam Lys. *Brought from Tomen y mûr* (Heriri mons), 143 *now built up in the terrace wall at Tan-y-bwlch Hall, Merionethshire*, lapis altus dig. 20, latus 12; 144 et 145 *also from* Heriri mons, *now preserved in Miss Roberts garden at Maentwrog, Merionethshire;* 144 altus est dig. 12, latus 10.

143

S XXXIX
> · AND
P XXXIX
> IVLI
MANS

ↄ(*centuria*) *And . . . . p*(*edes*) *XXXIX*, ↄ(*centuria*) *Iuli Mans*(*ueti*).

144

< Ↄ PERPE
TVI
· P XX

ↄ(*centuria*) *Perpetui p*(*edes*)? *LXX*

145

Ↄ L
P R C

Sam. Lysons Archaeologia 14, 1803 p. 276 qui ex 143 vv. 2 et 3 tantum descriptos accepit a Rowland; Westwood Archaeol. Cambr. ser. III 2, 1856 p. 141 *ss.* (et *gent. mag.* 11, 1861 p. 39) cum adnotationibus Ioh. Collingwood Bruce; *assoc. journ.* 24, 1868 p. 117.

146. 147 *Tretower* (inter *Crickhovel* et *Brecon*), lapides duo, quorum alter (n. 146) longus dig. 18, latus 5 extat *built into the pillar on the north side of the gate of Mr. Court's house*, alter *built into the north-east angle of the wall of a long house, which joins the north entrance into the orchard of the castle of Tretower*.

146 > VALENT F

147 PEREGRI
NI FEC

Westwood Archaeol. Cambr. ser. nova 2, 1851 p. 227 (cf. 3, 1854 p. 332, 2. 3).

In n. 147 initio deesse videtur centuriae signum.

148. 149. 150 In *Lhannio i saw* (*Llan dewi brewi*), *Cardiganshire* Lhwyd. In *Llanio*, iuxta viam Romanam occidentalem *Sarn Ellen* dictam, *built up in the walls of different cottages* Meyr. Num extent ignoro.

148 *intra tabellam ansatam*
Ↄ, ARTI, M,
ENNIVS
PRIMVS,

149 ⊙ VERIONI

150 *intra tabellam ansatam*
CoH TA‹TV R
TAH · I

Ed. Lhwyd in Gibsons Camden p. 644 (inde Horsley p. 323; Goughs Camden 3 p. 158) n. 148 et 149; Meyrick *Cardiganshire* p. 272 n. 150 solus; *assoc. journ.* 24, 1868 p. 117 ubi n. 150 cum n. 148 coniungitur.

In n. 148 latet fortasse ↄ(*centuria*) *Martialis? Ennius Primus* (*fecit*); n. 149 est ↄ(*centuria*) *Verioni*(?); in n. 150 talia *coh*(*ortis I* ↄ(*centuria*) *Tur*[*rani . . . .*] vel similia fuisse puto.